



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Q. Septimii Florentis Tertvlliani Carthaginiensis
Presbyteri, Opera Qvæ Hactenus Reperiri Potvervnt
Omnia**

Tertullianus, Quintus Septimius Florens

Coloniæ Agrippinæ, Anno M. DC. XVII.

Iacobi Pamelii De Librorvm Tertii Tomi Ordine Præfatio Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71872](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71872)

IACOBI PAMELII DE LIBRORVM TERTII TOMI ORDINE PRÆFATIO AD LECTOREM.



OMI tertij operum Tertulliani aduersus hæreseis ordinis, vti iuxta promissum reddamus rationem: Primum duo illi libri locum occupant, quos ante omnem errorem ab Auctore conscriptos constat; nempe: DE PRÆSCRIPT. ADVERSVS HERETICOS, ad quem in sequentibus frequens adlusio, & DE BAPTISMO ADVERSVS QUINTILLAM. Secundum alij tres; quum iam inciperet nonnihil ad errores inclinare, editi; ADVERSVS HERMOGENEM, ADVERSVS VALENTINIANOS, ac, DE ANIMA ADVERSVS PHILOSOPHOS ET HERETICOS; quorum duo posteriores, prioris, prout etiam libri de Anima qui sequuntur, mentionem faciunt. Tum deinde, libri septem, vno eodemque tempore, circa annum Seueri Caesaris XV. sic elucubrati, vt nisi diuersi essent argumenti, sibi mutuo deberent interijci, vt pote: DE CARNE CHRISTI ADVERSVS QVATVOR HERESEIS, ac: DE RESURRECTIONE CARNIS, quos continuo stylo scriptos manifestum est: & ADVERSVS MARCIONEM LIBRI QVINQVE; quorum quartus citatur libro de Carne Christi, & vicissim quinto eius operis libro adlegatur de Resurrectione Carnis liber. Posthæc SCORPIACVM ADVERSVS GNOSTICOS, in quo adludit Auctor ad libros aduersus Marcionem. Denique aduersus PRAXEAN liber, vbi paulo vehementius sui Paracleti mentionem facit. Quos, & potissimum primum De Prescriptione aduersus hereticos librum, Lector candidè, si diligenter perlegeris, munieris etiam aduersus huius tempestatis hæreseis; disceque verissimum esse illud Tertulliani; Hæreseis demonstrasse, vicisse est. vale igitur, & iuxta Apostoli sententiam Hereticum hominem post vnâ atque alteram correptionem deuitans, meminervis nihil prodesse cum hæreticis disceptationem.

De carne Christi
De resurrectione Carnis
Aduersus Marcionem lib. I.
Aduersus Marcionem lib. II.
Aduersus Marcionem lib. III.
Aduersus Marcionem lib. IV.
Aduersus Marcionem lib. V.
Aduersus Gnosticos Scorpianum
Aduersus Praxean

TER
OFF